

## PELAGIUS PP. I († 560/561)

## EPISTOLA XV

- 1573 [...] Ex hac autem sancta, et beatissima, atque consubstantiali Trinitate, credo atque confiteor unam personam, id est, Filium Dei pro salute humani generis novissimis temporibus descendisse de coelo, nec patriam sedem, nec mundi gubernacula relinquentem; et sancto Spiritu superveniente in beata Virgine Maria, atque obumbrante ei virtute Altissimi, eundem Verbum ac Filium Dei in utero eiusdem sanctae Virginis Mariae clementer ingressum, et de carne eius sibi unisse carnem anima rationali et intellectuali animatam: nec ante creatam esse carnem, et postea supervenisse Filium Dei; sed, sicut scriptum est, *sapientia aedificante sibi domum*<sup>1</sup> mox carnem in utero Virginis, mox Verbi Dei carnem factam, exindeque sine ulla permutatione aut conversione Verbi carnisque naturae, Verbum ac Filium Dei factum hominem unum in utraque natura, divina scilicet et humana, Christum Iesum Deum verum, eundemque verum hominem processisse, id est natum esse, servata integritate maternel virginitatis: quia sic eum virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit. Propter quod eandem beatam virginem Mariam Dei Genitricem verissime confitemur: peperit enim incarnatum Dei Verbum. Est ergo unus atque idem Iesus Christus verus Filius Dei, et idem ipse verus filius hominis perfectus in deitate, et idem ipse perfectus in humanitate; utpote totus in suis, et idem ipse totus in nostris; sic per secundam nativitatem sumens ex homine matre quod non erat, ut non desisteret esse quod per primam, qua ex Patre natus est, erat.

PL  
69, 409

## IUSTINIANUS Imperator (482 † 565)

## LIBER ADVERSUS ORIGENEM (543)

- 1574 [...] Εἰ γὰρ καὶ τὴν ἀρχὴν ἢ ἀνθρωπίνη φύσις διὰ τὴν παρακοὴν ἐστερήθη τοῦ παραδείσου, ἀλλ' ὅμως ὡς εἴρηται, ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ, ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, τὴν ἡμετέραν φύσιν ἐνώσας ἑαυτῷ
- 
- 1574 [...] Quamvis enim a principio humana natura propter inobedientiam privata paradiso est: tamen, ut est dictum, *Unigenitus Dei Filius propter multam caritatem suam qua dilexit nos*,<sup>2</sup> naturam

PG  
86, 957PG  
86, 958<sup>1</sup> Prov. IX, 1.<sup>2</sup> Ephes. II, 4.